

1512 ternuncios, quibus uteretur, dederunt. Gradonico legato sæpe id a Patribus postulanti, domum redditio tandem est permitta: ejusque loco paucos post dies Joannes Viturius subiectus. Grittus acceptis a Senatu literis, cum equitibus gravioris & levioris armaturæ tribus millibus ex omni exercitu lectis, cumque militibus quot visum est, in equum dorso impositis, Brixiam noctu profectus oppidum ingredi non potuit, detecta Aloisii oblatione, quam unius ex conjuratis uxor ad arcis præfectum amore ejus pellecta detulerat. Aloisius, ne a Gallis interciperetur, oppido egressus magnum hominum numerum in illos excitavit, qui nonnullos regios ministros ex ipsorum municipiis, quibus præerant, in fugam se se dare coegerunt.

Patres ea spe dejecti, de pacis cum Maximiliano inendæ conditionibus Romæ apud Julium constituendis, cum plures sententias in Senatu dixissent; ea tandem placuit, ut induciae per Foscarum legatum peterentur, quo ad pax confieri posset. Vanissa, de quo sæpe dictum est, multæ virtutis homo, cum Polizam Dalmatarum oppidum suam in patriam rediisset, seditione concitata interfactus est a suis civibus. Gaspar autem Severinas, suis rebus suæque dignitati omnibus a partibus atque adeo a principibus & regibus parum fidens, se Venetias contulit, ut in ea urbe degeret, cuius civitate & jure comitiorum pater ejus una cum liberis posterisque donatus fuerat. Eum Vicetini cives aliquot, in urbe qui erant, suis opibus juverunt: amice enim atque moderate in civitatem, cum pro Maximiliano ibi esset, se gesserat. Avogarius ob detectam conjurationem non deterritus, multa ex proximis municipiis & finibus hominum millia jam excitaverat ad Gallos expellendos: qua re moti Amphiani, arcem natura & artificio communitam, vi atque astu occisis Gallis, qui in ea erant, in suam potestatem redegerunt, eamque se reipublicæ servaturos Aloisio significaverunt. Benaci lacus populi fere omnes expulsis Gallis se reipublicæ dediderunt. His auditionibus concitati reliqui, in Gallorum nomen ma-